



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 126 ad 150

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1765

VD18 15558428-001

Psalmus CL.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53443](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53443)

funt, faciant justum *judicium*, jam olim
conscriptum, decreum, firmatum, ut
mutari non possit. *Gloria hæc* sedendi
cum Christo in nubibus, & judicandi
Mundum, & Principes ejus, erit *omnibus*
Sanctis ejus. Licet enim Beda dicat, duos
ordines futuros electorum, unum judi-
cantium cum Christo, alterum misericor-
diter judicandorum; tamen illi, qui mi-
sericorditer judicati fuerint, postea etiam
cum Christo judicabunt persecutores
suos, ut constat ex 1. Cor. 15.

PSALMUS CL.

Titulus: *Alleluja.*

Argumentum: *Invitatur populus Dei ad laudes Domini in summo Cælo habitantis, cum omnibus musicis instrumentis, ut hoc modo demonstret ardentissimum affectum suum.*

V. 1. *Laudate Dominum in Sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.*

O vos electi, & Sancti laudate Domi-
num in Sanctis ejus, hebraicè, in Sanctua-
rio cælesti habitantem. **T**um idem re-
petit.

petit. Cælum etiam dicitur *firmamentum virtutis* seu fortissimum palatum, & thronus altissimus Dei. Quia tamen sanctuarium Dei supremum sunt animæ iustorum; imò ipsi Sancti sunt templum Dei; ideo potest etiam cum Patribus simpliciter hic v. exponi de Sanctis hominibus, quatenus in eis Deus habitat, ut in præcipuo sanctuario suo.

v. 2. *Laudate eum in virtutibus ejus, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.*

Docet Deum laudandum, non quia in Cælo simpliciter habitat; sed quia in eo habitat, ut omnipotens Imperator, & Dominus omnium rerum: nam per *virtutes* hoc loco non intelliguntur *virtutes morales*, nec exercitus Angelorum, sed *robur*, & *potentia*; & per magnitudinis multitudinem intelligitur excellens magnitudo: Sic *multitudo dulcedinis*, h. e. *excellencia dulcedinis*. Ergo ait, *laudate eum ob magnas vires, & magnum robur ejus: laudate eum*, quia eximia est magnitudo ejus, cùm sit absolute, & simpliciter magnus. De magnitudine Dei vide fūsus. Ps. 144. v. 3.

v. 3.

V. 3. *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio, & cithara.*

Tria sunt instrumentorum Musico-
rum genera, vox, flatus, & pulsus: om-
nium meminit; hic nominantur tubæ,
quæ flatu sonitum reddunt; psalterium,
& cithara, quæ pulsu chordarum reso-
nant. Psalterium enim esse instrumen-
tum decem chordarum, non semel legi-
tur in Psalmis:

V. 4. *Laudate eum in tympano, & cho-
re, laudate eum in chordis, & organo.*

Hic numerantur omnia genera: nam
tympanum, & chordæ pulsantur; chorus
vel est instrumentum musicum nobis
incognitum, vel concentus vocum hu-
manarum: *Organum inflatur: liecit enim*
ignoratum sit, quid *organum* hoc loco signi-
ficet; tamen probabiliter dici potest, esse
instrumentum plurium tibiarum simul
conjunctionarum, ad cujus postea imitatio-
nem facta sunt ea, quæ nos *Organa* vo-
camus.

V. 5. *Laudate eum in cymbalis bene so-
nantibus, laudate eum in cymbalis jubila-
tionis: omnis spiritus laudes Dominum.*

Cym-

Cymbala quauntur, & tintinnitum redunt. Dicuntur Cymbala jubilationis, quia magnum, latumque sonitum redunt, quales campanae apud Christianos. Illud, *omnis Spiritus laudet Dominum*, quatuor habet explicationes: omissis ceteris, quarta est, ut per *Spiritum* intelligamus generatim omnia, quæ vivunt, sive spirituali vitâ, ut Angelos; sive animali, ut bestias; sive utrâque, ut homines; sive metaphoricâ vitâ, ut cetera omnia, quæ licet in se inanima sunt, tamen *Deo vivere* dicuntur, quia ita serviant, & obediunt Deo, ac si viverent, & sentirent, & Creatoris mandata perciperent; unde est illud Ecclesiasticum: *Regem, cui omnia vivunt.* Atque hic sit finis Commentarii.

O. A. M. D. G.

